Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2889
Quelle:
Copyright:

poris et ſanguinis domini noſtri ieſu chriſti quod ſancta eccleſia per uniuerſum mundum pro eiusdem mundi ſalute offert &c. Tum Titulus: *Incipit expoſitio de actione miſſarum.* Quanquam vero Expoſitio haec non niſi a *Praefatione* ordiatur, pulchre tamen praemittitur: *Conuenientibus in unum et aſtantibus in domo dei fidelibus. praecedente modulatione diuinarum laudum. et precedente lectione apoſtolorum et euangeliſtarum. precedente et nonnunquam ſermone et allocutione magiſtrorum. ſubiecta quoque ſymboli confeſſione. et oblatione populorum. et iniciata conſecratione ſacramentorum. in quibus omnibus mens aſtantium ad diuina et celeſtia cogitanda ac deſideranda accendatur. preparatus aſſiſtit ſacerdos altari. et dum celebrantur diuina myſteria. eccleſiam ſalutando orat. et orando ſalutat dicens Dominus uobiſcum* &c. Atque deinceps Preces ſingulae membratim expenduntur et PP. dictis illuſtrantur usque ad Formulam *Ite miſſa eſt*, ubi de ſignificatu vocis *Miſſae* hoc fine: *Miſſa fidelium fit poſt confectionem et participationem eorundem ſacramentorum.* De hujus Opuſculi Compilatore mihi non conſtat.

II. *fol.* 25. *Sententie noui operis petri. de eucharistia. ex epiſtolis Pauli. Petrus* hic, ſi quid video, *Lombardus* eſt *Pariſienſis* Ep. anno 1164. vivis exemtus, cujus *Collectanea in omnes Epiſtolas Pauli* e Patribus excerpta, quamvis *Pariſiis* Sec. XVI. pluries impreſſa, mihi tamen ad manum non ſunt. Conferant *Αυτοπται*. Initium nobis: *Conuenientibus. &c. Hic redarguit eos de hoc quod corpus dominicum non eo ordine ſumebant quo ſumi oportebat* &c. et Finis: *Ideo ita ordinate. et ſine ſciſmate faciendum eſt uobis. ut non conueniatis in iudicium dampnationis.* Ex inſcriptione obſerva, *Codicem* noſtrum non multo poſt exaratum fuiſſe, quam *Petrus* Collectanea ſua publicaret.

III. *fol.* 30. p. 2. *Sermo de reſurrectione mortuorum.* Ex iisdem, ut videtur, *Petri Lomb. Collectaneis.* Exponitur illud I. ad *Theſſalonic.* c. 4. *Nolumus autem ignorare vos fratres de dormientibus* &c. Initium: *Poſt exhortationem de continentia* &c. Finis: *Maria enim dominum querebat et mortuum fratrem lugebat.*

IV. *fol.* 33. p. 2. absque Inſcriptione Expoſitio V. 12. et 13. C. 4. Epiſt. ad *Hebr. Viuus enim eſt Sermo dei* &c. ex eodem, ut reor, fonte. Initium: *Quare debemus feſtinare in illam requiem* &c. Finis: *reddere rationem de operibus. et cogitationibus. et intentionibus noſtris.*

V. *fol.* 35. *Ex dialogo ſancti baſilij de dignitate ſacerdotij.* Reſcribe *Johannis Chryſoſtomi.* Error ortus ex *Johannis* collocutore *Baſilio Raphaneae* in *Syria* Epiſcopo. Sunt porro loci duo. Prior excerptus e L. III. *de Sacerdotio* edit. Maur. *Opp. Chryſoſtomi* T. I. *Pariſ.* 1718. n. 3. p. 382. ab iis verbis: ἡ γαρ ἱερωσυνη τελειται μεν ἐπι της γης &c. quae Noſter red-